



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. IX. De Bello Fratrum contra Pomesanos & de aedificatione castr  
Insulae S. Mariae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hermannus de Saltza IV. Magister Ord. Teut. General.*

*Hermannus de Balke I. Mag. Ord. Teut. Prov. in Prussia.*

*patietur. Judæus hoc legens ostenderit, per calcatum perge Pa-*  
*cum tota sua familia baptiza-*  
*rum est. Erat autem ibi scri-*  
*ptum quod tempore Ferrandi*  
*deberet incineri.*

ostenderit, per calcatum perge Pa-  
 trem, per calcatam perge matrem, &  
 ad vexillum crucis evola. Cum his  
 peregrinis cum venirent Thorun, Fr.

Hermannus Magister ædificavit castrum & civitatem (a) Col-  
 mensem An. Dom. M. CCXXXII. in eum locum ubi nunc situm  
 est castrum Antiquum.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. VIII.

(a) Alii dicunt arcem tantum An. 1232. conditam esse eo in loco; urbem  
 verò An. 1239. Sed fides potius habenda est Dusburgio nostro,  
 non tantum eo, quod est antiquior cæteris; Sed etiam quod Privi-  
 legium Culmense An. 1233. concessum est, non castro, sed Civitati  
 Culmensi. Ea etiam tunc constituta est Metropolis totius Prus-  
 siæ: cum verò sapius esset ab hostibus destructa, & An. 1457. ad  
 cruciferos à Polonis defecisset, primatus hic cessit urbi Thorunien-  
 si, quæ hodieque prima est Civitatum Prussicarum. *Vid. Schüz.*  
*lib. 6. Chron. Pruss. fol. 267.*

Insignia huic urbi data sunt 9. montes, quorum uni crux infixæ est.  
 Montes propterea dati sunt, quia urbs ipsa Culmensis in montibus  
 sita est: crux verò, quoniam à Cruciferis condita est, qui in hoc si-  
 gno se ethnicos subacturos profitebantur. Ut habetur in jure  
 Culmensi Reviso Polonicè edito Posnaniæ An. 1623: in præfat. Vi-  
 dentur autem Culmensi urbi hæc insignia data esse, post transla-  
 tionem (de qua infra cap. 58.) urbis illius, in eos montes, in qui-  
 bus nunc sita est. *Vid. quæ notavimus ad cap. 58.*

(b) Idem refert & Albertus Cranzius in *Metropoli lib. 8. cap. 34. pag. 218.*

CAP. IX.

De

*Bello Fratrum contra Pomesanos &*  
*& de adificatione castri Insula S. Maria.*

M

Post.

*Hermannus de Saltza IV. Ordinis Teutonici Magister General.  
Hermannus de Balke I. Ord. Teut. Mag. Provincial. in Prussia.*

Anno 1233.

Postquam hæc castra per Dei gratiam essent ædificata & Vetus fermentum malitiæ & nequitiæ infidelium esset à terræ Colmensis finibus ex purgatum, ut prosperum iter faceret nobis Deus salutarium nostrorum ad terras gentium vicinarum, ut aliqui astimant pro certo, Magister & fratres, præparatis eis quæ ad ædificationem castrorum necessaria sunt secretè venerunt navigio ad Insulam de (a) Quidino quæ ex opposito nunc Insula S. Mariæ, & ibi Anno Domini MCCXXXIII. erexerunt in quodam tumulto castrum, vocantes illud Insulam S. Mariæ. Sed dum vir ille nobilis & miles strenuus in armis de Saxoniam (b) Burggravius de Megdenburg, dictus cum parvâ manu, multâ stipatus militiâ & armigeris venirent ad castrum Colmen, infra annum quo ibidem mansit, ivit cum Magistro & fratribus, & castrum Insulæ S. Mariæ prædictum transtulit de Insula Quidini ad locum, ubi nunc est situm, in territorio Pomesaniæ dicto Risen mutantem locum & non nomen.

#### ANIMADVERSIONES.

- (a) Inde in hanc usque diem urbs illa à Polonis vocatur Quidzin; Sed & antiquitus sine dubio sub Ordine Teutonico idem nomen vulgò obtinuit. Privilegium namque Culmense Anno 1233. d. 5. Kal. Januar. datum subscripsit inter alios Ludovicus in Quidzin Provisor. Ex qua subscriptione & hoc patet, Castrum Quidinense jam fuisse conditum ante datum illud Privilegium Culmense, & forsitan jam Anno 1232. secus atque Dusburgensis opinatur.
- (b) Subscribit idem Privilegium Culmense Anno 1233. datum. Ubi quoque nomen ipsius reperitur, nimirum Burchardus Burggravius Megdebergensis. Elicitur ex illa subscriptione, ut & capite hoc Dusburgensis, translationem Castri Quidzinensis contigisse paulò post datum Privilegium Culmense, si vera sunt quæ Dusburgensis noster de Burchardo narrat, quod videlicet tantum annum in Prussia commoratus sit.

CAP.